NOS
FRIDERICUS MARIA NOBILIS ZINELLI
DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA
EPISCOPUS TARVISINUS
AD CLERUM INEUNTE ANNO M . DCCC . LXVII.

Annus jam ferme elapsus est, vos scitis, Venerabiles Sacerdotes, ex quo Pius Papa IX, Nos inter Praelatos domesticos solioque suo adsistentes cooptans, aliisque spiritualibus muneribus exornans, et numisma propria manu ad Nos transmittens, paternam suam in Nos dilectionem ostendit. Cum gratias clementissimo Pontifici egissemus perpaucis at ex corde profluentibus verbis, ad tot et tanta in Nos beneficia collata adjecit litteras affectu plenas, quibus, ut moris est Patri amantissimo et sapientissimo, aliquid pretii exiguis et fere nullis nostris meritis tribuens, in id unum intendit, ut calcaria adderet alacrioresque ad munus exequendum faceret. Id sane animadvertendum censemus, ne quae a singulari Pontificis Benevolentia unice profecta sunt, Nobis arrogare videamur.

His praemissis, en eum litteris a Nobis ad Pontificem missis Apostolicas litteras, consueto quarum solatio, hoc quidem anno ineunte, occasione arrepta a Directorii Dioecesani editione, vos carere nolumus.

BEATISSIME PATER

Tot ac tantis paternae in me benevolentiae significationibus illam etiam Sanctitas Tua additam voluit, quae mihi praeter exspectationem accidit, ut me inter Praelatos domesticos et Pontificio Solio adsistentes cooptaret; adjecto insuper numismatis dono, quod Tua manu transmissum pretiosius evasit. Id ego me in votis quidem habere ausus nunquam essem, nam in litteris a Te, Beatissime Pater, pluries acceptis, quas ego velut maximum asservo thesaurum, talia benignitatis testimonia habere mihi videor, quae nimium exigua mea merita superarent. At dicam Sanctitati Tuae quid me in hac novissima Benevolentiae Tuae significatione magis delectat? illud profecto, delectat maxime per illos honoris titulos arctiorem cum sacra Tua Persona innui coniunctionem. Atque hoc est potissimum in causa, cur tibi gratiarum actionem etiam atque etiam iterare debeam. Nequeo autem mihi temperare, quin Beatitudini Tuae solatium manifestem, quo nuper affectus fui, cum populum meum pastoralibus litteris ad id datis invitavi, ut in novendiali ante festum Immaculatae Deiparae Virginis Mariae Puerperae Perlitantis supplicatione pro Sanctitate Tua preces effunderet. Non defuere protinus homines nequam, qui fideles ab hujusmodi obsequio Christi Vicario praestando avertere conarentur, id molientes, ut respicientes falsa hominum judicia in Ecclesias non convenirent ad sacra officia celebranda, illosque religionis actus peragendos, qui illius rei gratia insinuabantur, ast effectum eorum votis plane contrarium obtinuerunt, nam magna fuit in Ecclesiis Sacramentorum frequentia; quamplures ad Tribunal Poenitentiae et ad Sacram Communionem accesserunt, atque ita ex eorum machinationibus evidenter apparuit illos, qui Ecclesiam frequentabant, aperte eo consilio id fecisse, ut suam Christi Vicario adhaesionem ostenderent.

His addo precationem, ut quadringentas supra mille libellas gallicas, parvam quidem oblationem, quae in hac Dioecesi per illud tempus, quo novendiales preces Immaculatae Conceptionis celebrabantur, maxima ex parte collecta est, Sanctitas Tua dignetur accipere.

Interim ad Sacrorum Pedum osculum provolutus mihi et gregi mihi commisso Apostolicam imploro benedictionem.

Datum Tarvisii ex Palatio Episcopali
die 20 Februarii 1866.

Dev.mus Obseq.mus Addict.mus
Servus et Filius
Fridericus Maria Zinelli Episcopus Tarvisinus

Ab extra:
Sanctissimo D. N. Pio Papae IX.
Romam.

BEATISSIMO PADRE.

Alle tante prove di paterna benevolenza verso di me, Vostra Santità volle aggiungere anche quella che mi tornò affatto inaspettata di annoverarmi fra i Prelati domestici assistenti al Soglio Pontificio; e non Le bastò ciò, che volle aggiungervi di propria mano il prezioso dono di una medaglia. Io certamente non avrei mai arrivato col desiderio a tanto, perchè mi parea di avere dimostrazioni troppo superiori ai miei esigui meriti nelle lettere che da Voi Beatiss. Padre, lo m'ebbi, lettere che lo conservo come il più grande tesoro. Ma sa V. Santità che cosa mi solletica in questo nuovo tratto della Vostra Bontà? Ciò che più mi solletica è l'accennare che con quei titoli si fa, ad una più stretta relazione colla Vostra Sacra Persona. Ed è per questo principalmente che io debbo rinnovarle i miei vivi ringraziamenti. Non posso poi contenermi dal manifestare a V. Beatitudine il conforto da me provato recentemente, quando invitai con apposita pastorale il mio popolo nella novena della Purificazione a pregare per V. S. Non mancarono subito degli uomini malvagi i quali cercarono di allontanare i fedeli da questo atto di ossequio al Vicario di Cristo, tentando che si astenessero per umani riguardi dal concorrere alle funzioni ecclesiastiche e dagli atti di Religione insinuati a quello scopo, ma ottennero un effetto tutto opposto al loro intento, perchè vi fu grande frequenza nelle Chiese e molti e molti si accostarono al Tribunale di Penitenza, ed alla S. Comunione, onde dal tentativi di coloro invece evidentemente apparve, che quelli che si portarono alle Chiese lo facevano colla espressa intenzione di mostrare il loro attaccamento al Vicario di Cristo.

Aggiungo la preghiera che V. Santità si degni accettare la somma di franchi 1400, piccola offerta che fu raccolta in questa Diocesi principalmente nella Novena della Immac. Concezione.

Frattanto prostrato al bacio dei SS. Piedi imploro per me e per la greggia a me affidata l'Apostolica benedizione.

Treviso, dal Palazzo Vescovile
li 20 Febbraio 1866.

Dev.mo Osseq.mo Aff.mo
Servo e Figlio
Federigo Maria Zinelli Vescovo di Treviso.

Al di fuori:

A S. S. Pio Papa IX.
Roma.

PIVS PP. IX.

Venerabilis Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem. Nihil erat cur observantissimis Tuis Litteris X. Kalendas hujus mensis datis gratias Nobis ageres, quod Tibi numisma miserimus, Teque in Domesticos Nostros, et Pontificio Solio adstantes Antistites cooptandum esse censuerimus. Namque jucundum Nobis fuit, has Nostrae benevolentiae significationes Tibi libentissime exhibere, Venerabilis Frater, qui asperrimis hisce christianae, civilisque reipublicae temporibus episcopalis Tui muneris partes sedulo implere, et qua voce, qua scriptis catholicae Ecclesiae, et hujus Apostolicae Sedis causam, jura, doctrinam constanter tueri, ac tot nefarias adversariorum insidias detegere, et perniciosissimos errores refellere summopere studes. Non mediocri autem voluptate ex eisdem Tuis Litteris novimus, istius Tuae Dioecesis fideles pastoralibus Tuis monitis excitatos tempore novendialis supplicationis Immaculatae Deiparae Virgini Mariae Puerperae Perlitanti sacrae summa frequentia ad sanctissima Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta accessisse, eosque pravis inimicorum hominum conatibus plane despectis, plura pietatis ac religionis praebuisse specimina. Nihil vero dubitamus, quin pro eximia Tua Episcopali sollicitudine, ac sacerdotali zelo pergas majore usque vigilantia et fortitudine pro Dei, ejusque Sanctae Ecclesiae causa strenue dimicare, atque istorum fidelium saluti indesinenter consulere. Debitas autem Tibi, et istis fidelibus grates persolvimus pro pecuniae summa nuper missa ad Nostras, et hujus Sanctae Sedis angustias denuo sublevandas. Demum Tibi persuade, praecipuam esse, qua Te prosequimur, caritatem. Cujus quoque certissimum pignus accipe Apostolicam Benedictionem, quam toto cordis affectu Tibi ipsi, Venerabilis Frater, et gregi Tuae curae commisso peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 26 Martii anno 1866.
Pontificatus Nostri Anno Vicesimo.

PIVS PP. IX.

Ab extra:

Venerabili Fratri
Friderico Episcopo Tarvisino

Tarvisium.

PIO PAPA IX.

Venerabile Fratello, Salute ed Apostolica Benedizione.

Non era mestieri che Tu colla rispettosa tua lettera 20 Febbraio passato ci rendessi grazie della medaglia che ti mandammo, e dell' averti posto nel numero de' Prelati nostri Domestici ed assistenti al Soglio Pontificio. Perciocchè troppo fu a Noi giocondo l' offerire con tutto l' animo cosifatte dimostrazioni della Nostra benevolenza a Te, Venerabile Fratello, il quale in così dure vicissitudini della cristiana e civile società ti affatichi cotanto di adempiere con diligenza ogni parte del pastorale tuo ministero, di propugnare costantemente, sia colla parola, sia cogli scritti, la causa, i diritti, la dottrina di questa Apostolica Sede, di far manifeste le scellerate insidie degli avversarii e di confutarne i dannosissimi errori.

Fu poi grande la compiacenza che provammo nell' intendere da quella tua lettera come i fedeli di cotesta tua diocesi nella Novena della Purificazione di Maria Vergine Madre di Dio immacolata mossi dalle pastorali tue esortazioni si accostarono assai numerosi ai santissimi Sacramenti della Penitenza e della Eucaristia, ed al tutto spregiando i malvagi tentativi degl' inimici diedero saggi abbondanti di pietà e religione. Nè dubbio alcuno ci resta, che Tu nella esimia tua sollecitudine episcopale e zelo sacerdotale non seguiti con vigilanza e fortezza sempre crescente a combattere da valoroso per la causa di Dio e della Santa Chiesa, ed a prenderti cura incessante della salute di codesti fedeli.

Rendiamo grazie a Te ed a codesti fedeli per la somma di danaro testè mandata a sollevare ancora una volta le angustie Nostre, e di questa Santa Sede. Dopo tutto tieni per fermo, che di amore propriamente singolare Noi ti amiamo. Del quale abbiti a pegno certissimo l' Apostolica Benedizione, che Noi con tutta l'affezione del cuore amantemente impartiamo a Te, Venerabile Fratello ed al gregge alla tua cura affidato.

Data a Roma presso S. Pietro a dì 26 Marzo 1866.
Vigesimo del Nostro Pontificato.

PIO PP. IX.

Al di fuori:

Al Venerabile Fratello
Federico Vescovo di Treviso.
Treviso.

Nihil Nobis accidere potest jucundius, quam ipsis verbis Clerum et popolum alloqui, quae a Vicario Christi promanant; a Vicario Christi, Cui adhaerere in omnibus semper, quoad vita superest, gloriabimur: Cujus laudes vox nostra iterum atque iterum celebrare gestit: Cui ex toto corde omnia felicia ominamur. Maximo perfundimur gaudio scientes vos, Venerabiles Sacerdotes, ut decet dilectissimos filios, eosdem sensus in animis vestris enutrire, palamque profiteri. Vos enim usque eadem constantia principia, quae Pastor vester Supremi Pastoris vestigia premens, aperte professus est, populum vobis subjectum docuistis; quae quidem principia cardines sunt hujus vitae, atque ad praemia futura nos manuducunt. Profecto hinc stat reverentia et obedientia praestanda Christi Vicario; illinc debita subjecto potestatibus civilibus; hinc Religio, illinc Patria; nam neque Religio sine obsequio erga Christi Vicarium intelligi potest; neque amor Patriae sine ordine: qui sane a qualibet societate abest, si quisquae fas sibi esse putet auctoritati resistere, turbasque excitare. Quae duo amico et indivulso nexu conjunguntur; nam Ecclesia ipsa populis inculcat, ut a vesana rebellionum libidine se cohibeant; Societas Civilis felicitatem temporalem populorum procurare sine pace religiosa haud potest.

Satagite igitur, o dilectissimi, ut plebs vobis subjecta quae sunt Caesaris reddat Caesari, et quae Dei Deo. Quapropter preces pro Pastore Pastorum profundite ad Deum, ut beatum faciat eum in terra et ad beatam aeternitatem cum grege sibi commisso perducat. Sed et pro Rege una cum fidelibus orate, ut Deus adsistricem illi Sapientiam concedat qua regere populum sibi commissum valeat, et sic transeat per bona terrena, ut ad coelestia perveniat. Ex quo per cessionem legitimam votaque ipsa civium sub regimine constitutionali Victori Emmanuelis hae provinciae degunt, christianae Religionis discipulus sincerus nullo modo aures insidiantibus praebebit, qui eum a debita ipsi subjectione avertere conarentur. Amoris enim Patriae, illius amoris quem Religio ipsa tantopere inculcat, fundamentum est fidelitas erga supremam potestatem, quae est veluti caementum, quo simul invicem constringuntur Societatis membra, quorum congeries chaos es-

set similis, si in unum per potestatem supremam non cooptarentur. Haec igitur dum, ut facitis, firmiter tenetis, ne desistatis oblata occasione usque praedicare. Sicut autem Religionis fucato praetextu nemo debitae Principi obedientiae detrahere debet, sic novi rerum ordinis arrepta occasione nemo audeat ab ea, quam Vicario Christi maximam debet, reverentia recedere. Hoc postremum vituperatione magna dignum si in laico homine obtineret, horrendum esset de Sacerdote posse suspicari. Mens refugit cogitare tantum flagitium: si Summus Pontifex Pater est omnium fidelium, singulari ratione eorum qui ecclesiasticae militiae nomen dederunt Pater est. Qui Pontificem Summum veluti Patrem non agnoscit, Ecclesiam veluti matrem non habet; ac proinde qui Summum Pontificem inhonorare non erubescit, Ecclesiam contemnit. Quam igitur opinionem induemus de illo Sacerdote, qui libellos, ephemeridesque in quibus nomen Sanctissimi et mansuetissimi Pontificis proscinditur, non solum ipse avide legeret, sed et aliis legendi opportunitatem praeberent aut saltem exemplo suo ad legendum provocaret? Quid si ipse Sacerdos irreverentia plena erga Sanctam Sedem, erga Pontifices Summos scripta publici juris faceret? Quid si eos qui Sanctissimae Religionis mysteria proscindunt, qui publice odium in Sanctam Ecclesiam Catholicam, in Romanos Pontifices, profiterentur, summo in honore publice haberet, ac veluti intemerata pectora, veluti heroes summopere exaltaret? Etiamsi per summam absurditatem et impietatem daremus Ecclesiam, sua agendi ratione, opprobria mereri, quis filius patris, quis propriae matris detractores, veluti sibi carissimos amicos amplecteretur, laudibusque extolleret? quis lapides in Patrem et Matrem conjiceret, aliisque ad lapidibus eos obruendos animum adderet? Vel ipsi Ecclesiae inimici, Nobis credite, illos laude dignos haud existimant, quinimmo in corde suo contemnunt, etiam dum ipsorum opera ad labefactandam Ecclesiam utuntur. Quae si per excellentiam de Summo Pontifice dicenda veniunt, recte et Episcopis aptari debent; quandoquidem et ipsi sub Patre communi omnium sibi subjectorum fidelium Patres sunt. Quid igitur dicendum de Sacerdote qui injurias erga suum Episcopum jactatas non solum aequo animo fer-

ret, sed et sua agendi ratione confirmaret? qui palam ejus decreta violaret? Quid si ea ipsa quae per calumnias impudentissimas eidem Episcopo a flagitiosis hominibus impinguntur, aut directe aut saltem indirecte confirmaret? Heu! dilectissimi, Deus faxit, ut nullus in Clero nostro, qui tantopere reverentia et affectu erga Summum Pontificem, erga suum Episcopum praestat, talis ac tanti flagitii, ullo unquam tempore reum se apud Deum et homines reddat! At si quis eo devenerit, sciat viscera Episcopi sui non irâ percelli, sed tenerrima in eum misericordia dilatari, sciat Episcopum, qui nemini unquam maledixit, sed cum veritatis, jura fortiter acriterque assereret, pro errantibus nil aliud quam pietatis sensus expressit, tanto magis pro illis qui arctiori, quam caeteri, vinculo sibi devincti sunt, videlicet ecclesiasticis viris, benignitatis et clementiae sensibus animari; sciat ipsum ad Deum summa animi demissione fervidissimas preces dirigere, ut eorum corda tangat; ut aeternitatis memores, ad quam post brevem vitae hujus usarum perventuri sunt, animo prospiciant et agnoscant nihili vitae hujus honeres et commoditates (quod quidem fideliter praedicare debent et forsan praedicant) esse faciendas; ac proinde se stultos esse, si ad hominum judicium respicientes falso rubore a mala quam inierunt via se retrahere cunctentur. Sciant hic ipsis non judicem sed Patrem loqui: Patrem qui nihil aliud prae oculis, habet, dum haec ab intimo corde depromit, quam eorum aeternam salutem; quam quidem ut adipiscantur, et ipsis si qui sint, una cum aliis sibi carissimis filiis benedictionem pastoralem impertitur.

Datum Tarvisii ex Ædibus Nostris Episcopalibus
die prima Januarii an. 1867.

✠ FRIDERICUS MARIA Episcopus.

Venetiis, Typ. Perini.